



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Institutiones Dialecticæ

Dieterich, Conrad

Giessæ Hessorum, 1611

I. Substantia.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56580](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56580)

Prædicamēta sunt decem: 1. Unum  
Substantiæ, Novem Accidentis. 2.  
Quantitatis. 3. Qualitatis. 4. Relatio-  
nis. 5. Actionis. 6. Passionis. 7. Quan-  
do. 8. Ubi. 9. Situs. 10. Habitus.

[Singula inclusa sunt his distichis:

Arbor 1. sex 2. servos 4. fervore 3. refrigerat 5. istos 6.  
Ruri 8. cras 7. stabo 9. nec 10. tuniceus ero.

Item:

In campo 8. magno 2. pugnabat 5. fortiter 3. olim 7.  
Filius 4. Arnolphi 1. stas 9. & calefactus 6. in armis 10.

### I. SUBSTANTIA ἰσεία.

Prædicamentum Substantiæ est di-  
spositio substantiæ per genera & spe-  
cies.

Substantia est Ens, quod habet pro-  
prium esse, & sustinet accidentia.

[Dicitur Substantia à subsistendo, quia per se subsistit, nec  
alio indiget. Græcè dicitur ἰσεία, ἰσεία ἴσῳ, ἢ ἰσεία  
ἰσῳ. Accipitur aliquando latè, quatenus etiam acciden-  
tibus competit. Strictè verò quatenus accidenti opponitur,  
ut hoc loco. Primus autem locus ei tribuitur, quia. 1. acci-  
dentia sustinet. 2. & omnia accidentia propter substantiam  
sunt, ad eas videlicet ornandas & perficiendas.]

Substantiæ aliæ sunt primæ, aliæ secundæ.

Primæ sunt, quæ de subjecto nullo dicun-  
tur, & aliud nil sunt, quàm individua, ut, Pe-  
trus, Paulus.

Secundæ sunt genera & species, quæ de  
subjecto dicuntur, ut homo.

[Dicuntur autem primæ, quia secundarum sunt princi-  
pia.]



pla: & primò sensibus nostris sunt obvia, inq; oculos nostros circumcurrunt. Arborem substantiarum vide apud Philipp. & alios.]

Substantia sunt hi CANONES.

I. Substantiæ non sunt in subjecto, ut accidentia.

[Ratio: quia subsistunt per se, & sunt ipsa subjecta, & subsistent accidentia.]

II. Substantia non recipit magis nec minus: ut Hercules non est magis homo quam Paris, etsi possit esse major ratione accidentium.

[Intellige quæ substantia: Nonnunquam enim gradibus variatur, ut, hic homo doctior illo, sed tantum ratione accidentium.]

III. Substantiæ inter se non sunt contrariæ.

Ratio quia. 1. contraria sunt in subjecto: Substantia non item: 2. quia contrarietas propriè est Qualitatum pugnantium.

IV. Substantiæ nihil est contrarium.

[Intellige absolute, simpliciter, & non ab eorum consideratione. Nam quatenus ex accidentibus consideratur, per & propter illa contrarietatem recipere potest. Sic ignis dicitur contrarius aqua: Agno lupus.]

V. Substantia eadem numero permanens est capax contrariorum.

[Diverso puta tempore. Sic homo scientiam & ignorantiam eiusdem: Aqua calorem & frigus recipere potest.]

VI. Inter substantiam & accidens non datur medium: Species enim misceri non possunt.

VII. Destructis substantiis primis, nihil reliquum est, id est, nec accidentia reliqua sunt, quia sunt tantum in individuis.